



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Ioanni Roderico ArmuZiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

nos in Sinarum regno reuisamus? Deum
Dominum nostrum, quæso te, suppliciter
deprecare, ut mihi facultatem det iter in Si-
nas aperiendi aliis; quoniam ego ipse nihil
ago. Oræ Piscariæ negotium, de quo Henr-
icus Henriques ad te scripsit, de Præfecto, in-
quam, cura, ut apud Regem conficias: si qui-
dem ad rem Christianam pertinet plurimū.
V. Non. Ianuarias. M.D.LII. Cocino.

Ioanni Roderico Armuziam. Epist. III.

Ego vero libertius te viderem, quam ad
te scriberem: multa enim sunt, quæ com-
modius coram, quam per litteras transfigan-
tur. Aueo scire, istic quid proficias, aut po-
tius quid per te efficiat Deus: quid ipse diui-
nis conatibus officias. Nostram quippe in-
curiam, ac nequitiam semper apud Deum
accusare debemus. Siquidē nostro vitio fit,
ut ille minus nobiscum suarum opum com-
municet, minusque aliis per nos lucis suæ o-
stendat, non sine diuinæ gloriæ impedime-
to: quod contra accideret, si tales essemus,
quales nos esse oporteret. Id adeo nos sem-
per memoria tenere par est, eiusmodi rerum
seuere admodum Deo reddendam esse ra-
tionem. Oro te frater carissime, neue ad cō-
munis, vrbanaque vitæ consuetudinem de-
labaris, neue singularem quandā, remotam-
que à Societatis instituto rationem sequariss.
Vtrum-

*Salubris
admonitio.*

Vtrumque enim vitium magno nostris hominibus est detimento; ne scilicet, aut parū de virtutis, atque instituti absolutione laboret, aut superbia elati tantos spiritus, tamquam arrogantiam sumant, vt haudquaquam ferendi esse videantur. Ad modestiam autem autem submissionemque animi retinendam illa nobis cogitatio salutis erit, multo magis nos Societate, quam Societatem nobis indugere: qui sui immemor sit, aliorum salutari ter memorem esse non posse.

Amicum vtiq; te semper, & obsequenter
Episcopi Vicario præbebis. Concionibus, Obseruare.
confessionibus, sacramētorum administratiōni ad eius arbitrium operam dabis: neque Erga Episcopos.
vlla de causa ullam cum eo suscipes simultatem; sed perpetuam ei bēnevolentiam obedientiamq; præstabis. Sic enim fiet, vt & nostrorum hominum amicior sit, & in nostris conatibus iuuandis diligentior. Eandem etiam cum reliquis Sacerdotibus regulam tenebis, vt niemini contemnas, nemini te anteponas, sed omnibus præbeas exemplum obedientiæ, vt documento sis, quemadmodum ipsos Præpositis Ecclesiasticis parere oporteat. Neq; enim te fallit, Concionatorū plus proficere exempla, quam verba. In concionibus porro cāuebis diligenter, ne quæ omnino nimia orationis libertate perstrinegas: ne subtileſ, concinnasq; sententias cōfesteris,

fecteris, sed morales potius, ac salutares. Da-
bisque operam, ut ea quæ dices dicentis pie-
tate, submissione animi, modestia commen-
dentur. Publica peccata publice, occulta ac
priuata priuatim reprehendes. Sic enim tibi
persuadeas velim, pluris esse exiguum fru-
ctum, sine cuiusquam offensione, quam per-
magnum cum offensione multorum. Hoc
ego eò ad te scribo, quod quanti tandem id
referat, plane intelligo. Quæ precepta isthuc
Gaspar Belga secum attulit, ea tu quoq; ac-
curate seruabis. Quod ad te præterea scribā,
in præsentia nihil est. Deus nobiscum ma-
neat, nosque secum quamprimum iungat in
cœlo. Amē. XI. Kal. Aprilis M. D. LII. Goa.

*P. Gaspari Rectori Collegij Goani.
Epist. IV.*

CO CINVM Dei beneficio appulimus
incolumes; Sociosque omnes saluos, ac
valentes offendimus. Hic mihi redditę litte-
ræ sunt ab iis, qui in Comorino Promonto-
rio, & in oppido Colano Christianæ rei cau-
sa versantur, quibus significant se multis vel
corporum, vel animorum incommodis vr-
geri. Subuenias eis per Deum, quibuscunq;
rebus potes. Obiit in Promontorio Como-
rino P. Paulus Valles vir egregia virtute. Hé-
ricus Henriques vñus omnino reliquus est.
Proinde Socium illi adiuges, itemq; Cosmo
Turria-